



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **INTERAMNENSIS - NARNIENSIS ET AMERINA*** DIOCESES INTERAMNENSIS NARNIENSIS ET AMERINA

AEQUE PRINCIPALITER CONIUNGUNTUR Quoniam ipsum statuit Concilium Vaticanum Secundum ut firmiore consilio dioeceses per orbem terrarum coniungerentur aut seiungerentur, quo nempe plenius certiusque prospiceretur spiritali commoditati Christifidelium in eis degentium faciendum omnino est visum ut de communitatibus Interamnensi Narniensi et Amerina tale quiddam susciperetur, cum priores binae iam plures annos iure cohaererent Amerina vero diutius concrederetur Admnistrationi Apostolicae ipsius Ordinarii Interamnensis et Narniensis. Exceptis igitur sententiis locorum Ordinariorum Conferentiae Episcopalis regionis Umbriae, quorum scilicet maximi intererat, atque perspectis consiliis Venerabilis Fratris Nostri S. R. E. Cardinalis Sacrae Congregationis pro Episcopis Praefecti, et suppleto consensu quatenus opus erat, eorum ad quos res pertinebat aut ad se rem pertinere qui censebant, Nos pro apostolicae potestatis Nostrae plenitudine harumque Litterarum virtute sic inter se cathedrales ecclesias Interamnensem, Narnensem et Amerinam aeque principaliter devincimus ut unus idemque sacrorum Antistes cuique communitati praesit atque ipse Episcopus Interamnensis, Narnensis et Amerinus simul existimetur re veraque sit ; qui deinde Praesul sacer beneficia unius dioecesis presbyteris alterius communiter conferre possit. Decreta autem haec Nostra ut rite in effectum ducat, Venerabilem Fratrem Bartholomeum Sanctum Quadri Archiepiscopum Mutinensem destinamus, cui facultates necessarias et oportunas tribuimus etiam subdelegandi, ad negotium de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, imposito simul onere ad Sacram Congregationem pro Episcopis quam primum transmittendi verum exemplar actus ita factae executionis. Contrariis quibusvis rebus minime obstantibus. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die decimo tertio mensis Septembris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI

a publicis Ecclesiae negotiis

SEBASTIANUS Card. BAGGIO

S. Congr. pro Episc. Praefectus

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Liborius Scaccia, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. LXXVI (1984), n. 1, pp. 14-15

© Copyright 1983- Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana